

RECENTIORUM JUDICIA. LV
GERARDUS VOSSIUS.

Bienno antequam in excessam istam Ecclesiae speculam, sedem Petri evehereris, Sixte V. Pontifex Maxime, virum mihi peregrinum e media Syria oriundum, & per Graeciae climata huc profectum, ut major ejus haberetur ratio, commendasti, ac ut eodem mecum Romae exciperetur contubernio desiderasti. Cum enim propter Turcicam tyrannidem cuncta devastantem atque obscurantem non amplius eo haberetur honore apud suos Syros & Graecos, quo antea, sed jam vilesceret atque obsoleveret, laborumque ejus fructus ibi deperiret, ad Latinos, & quidem ad ipsam urbem Romam, velut ad securum extra pericula portum, ex Barbarorum manibus confugit, ut ibidem resloresceret, & fructum uberiores, tanquam loco magis fecundo exultior redditus, produceret: ubi etiam quod multo nimis tempore latebris & tenebris vindicandum, mihique licet homini hic externo, & ex ultima pene Germania oriundo committendam tradendumque sollicito curasti. Itaque feci non invidus, quod in hospite illo excipiendo, Tibi cum primis gratum, mihique jucundum, atque aliis carum & utile fore intelligebam, ipsumque a Te usque adeo commendatum peramanter admisi, suscepi, & gratulabundus in idem mecum contubernium introduxi. &c. Sed quoniam homo ille sit peregrinus, fortasse tecum ambiges? Cujus enim memoriam nondum Sanctitati tuae excidisse credam, quod non ita multum interfluxerit temporis, quod illum mihi commendasti ac tradidisti, tamen ut clarius rem exprimam, & ne alii παραβολικῶς, aut potius ὑποκριτικῶς loqui videar, quis is sit, enarrabo.

Ephraem hic est Syrus, quem clara Mesopotamia produxit, Graecia suscepit, & tota antiquitas venerata est. Quem Basilus ille magnus Caesarea Cappadociae Archiepiscopus, eruditionis causa in primis admiratus est, summeque laudavit, ac pietatis nomine praedicavit, de eo inter alia affirmans, quod tantum a mundana sapientia distaret, quanto verarum rerum scientiae propinquior erat. Cuique idem Basilus miraculose & absque labore donum Graecae linguae a Deo impetravit, eumque ex Diacono Sacerdotem dignissimum ordinavit. Quem Basilii frater S. Gregorius Nyssae Episcopus insigni beneque longa oratione celebravit ac decoravit. Quem Amphilochius Iconii antistes pulcherrima comparatione cum Basilio magno contulit, quaeque inter utrumque communia intercederint, descripsit. Quem fortissimus ille haereticorum malleus S. Hieronymus ad tantam

venisse claritudinem testatur, ut post lectionem Scripturarum publice in ecclesiis ejus scripta recitarentur. Quem Palladius magnae apud cunctos estimationis fuisse dicit, non fictae, sed vere, illumque unum inter alios existisse dignum, cujus memoria a sanctis Christi servis celebretur. Quem Theodorus Cyri praefulum virum admirabilem, & scriptorem inter Syros excellentissimum appellat. Quem in magna vixisse laude, ecclesiamque catholicam cum primis exornasse, inter multa Sozomenus cum aliis recenset. Qui, ut cum eodem Sozomeno testis est Nicephorus, vita monastica percelebris existit, & ex aequo cum iis, qui Episcopatu, doctrina, & vitae sanctitate clari sunt, laudatur. Quem miris laudibus Symeon Metaphrastes Nyssenum in ejus secutus vita, exornat atque illustrat. Quem Cedrenus virum fuisse magnum dictis factisque, ac multa utiliter conscripta reliquisse affirmat. Ex cujus adhuc infantis ore (ut in ipsius reperitur vita) per somnium vita est excrevere vitis, quae omnem sub caelo regionem replebat, cujus fructibus omnes caeli volucres advolantes vescabantur, ipsaque vitis quanto volucres fructus decerpentes excipiebat, tanto magis racemis abundabat, quae in ipso postea Ephraem vera apparuerunt, dum ejus oris ac vitae fructus per universum orbem resplenduit. De quo & illud memorabile legitur, quod ab Angelo visus sit librum aureis conscriptum literis aliquando recepisse, quem nemo praeter eum aperire meruit; unde mox postero die & deinceps, loquente in eo Spiritu sancto, tantam dicendi ac declamandi gratiam habuit, ut nullum sibi similem suo tempore inveniret. Quem non sine causa reverenter atque libenter celebris olim Graecia amplexa est, ejusque scripta tanti fecit, ut illa in suam magna ex parte linguam transfuderit, illumque velut suae gentis ac classis Patrem habuerit colueritque, quem honorem an ulli unquam alteri scriptori externo gens illa detulerit, vehementer dubito, exemplumque ignoro. Ex cujus quoque variis scriptis ob dignitatem plurima passim ab Anastasio Synaita, Photio Patriarcha olim Constantinopolitano in sua ad Tarasium Bibliotheca, a Moyse Bar-cepha Syrorum Episcopo, aliisque praefatis inveniatis citata atque desumpta. Ad cujus imitationem Isaac Syrus, Nilus Archimandrita Constantinopolitanus, Beatus Isaias, & Beatus Dorotheus, religiosissimi Abbates, alique complures pietate atque eruditione insignes viri utilissima opera conscripserunt, quorum ego multa nondum edita in variis manuscriptis Vaticanis aliisque alibi prelo sane dignissima vidi. Cujus denique sanctissimi viri commemorationem, Graecorum Menologia, & Latinorum Martyrologia ex aequo ponunt, observant, ac celebrant. &c.

Cen-